3
13

DE

RETINENDA

IN 34-6 C-12

ECCLESIASTICIS

LIBRIS VOCE,

PARACLĬTVS,

DISSERTATIO.

Authore IOHANNE BAPT. THIERS, *Carnotenſi, Baccalaureo Theologo Pariſienſi.*

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Apud PETRVM GVILLIMIN, in vico Bellæ-Corderiæ.

M. DC. LXIX.
Cum Approbatione & Permiſſu.

DOCTISSIMO VIRO
DOMNO
LVCÆ DACHERIO,
CONGREGATIONIS
S. Mauri Monacho Benedictino, & Bibliothecæ S. Germani à Pratis Præpoſito, Ioannes Baptiſta Thiers S. P.

QVANTVM erroris in Eccleſiaſticas preces inuexerint hominum ignorantia, ac præpoſtera religio, non tibi latet (vir Doctiſſime) qui illuſtriora quæque antiquitatis ſacræ monumenta ſedulus euoluiſti: & ego ipſe ſæpe ſæpius expertus ſum, cotti-

die quoque experior. Tanti mali cauſas inueſtiganti, non alio oriri ex fonte venit in mentem, niſi quia in euulgandis Eccleſiæ officiis minimè obſeruatur quod à Concilio Mileuitano 2. ſapienter eſt in cano. 12. ſic conſtitutum: *Placuit etiam & illud vt preces, vel orationes, ſeu miſſæ quæ probatæ fuerint in concilio, ſiue præfationes, ſiue commendationes, ſiue manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.* Si enim aliæ in Eccleſia non frequentarentur orationes quàm *quæ* eſſent *à prudentioribus tractatæ, vel in Synodo comprobatæ*: profectò nihil illæ complecterentur, quod aut fidei catholicæ contrauenirет, aut pias aures offenderet, aut rerum geſtarum veritati repugnaret, aut veteres ritus peſſumdaret. At quidquid prouideant ante & præcaueant ſacrorum Antiſtites, ſecus omnino euenit aliquando.

Infinita

Infinita poſſent exeri ad illud probandum exempla. Vnicum heic adducere mihi ſatis erit, quod centies in anno velim nolim animo meo obverſatur.

Nimirum quoties ex officij mei ratione ſtatas quaſdam ſuper infirmis orationes, ſeu litanias (vt appellant) effundere neceſſe habeo, ita ſcriptum inuenio: *Sancte Vriel ora pro eo*, vel *pro ea*. Equidem ego cum Eccleſia didici tres Angelos, Michaëlem, Gabrielem & Raphaëlem, meis orationibus interpellare, eorum emendicare ſuffragia, ad eos tamquam ad pacificatores atque internuntios meos apud Deum confugere. At Vrielem beatis Angelis accenſere, eius auxilium precibus meis flagitare, verbo dicam, inuocare, non didici: immo inuocationem eiuſmodi ſuperſtitione non vacare crederem haud illibenter. Quid enim ſuperſtitioſæ inuocationis nomine circumſcribi poteſt, quàm quâ vt ſanctum Angelum deprecamur, qui reuera ſanctus Angelus non eſt? *Su-*

perſtitio (inquit S. Thomas 2.2.quæſt. 72.art.1.) *Eſt vitium religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quàm vera religio: ſed quia exhibet cultum diuinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Angelum autem ſanctum non eſſe Vrielem, atque ideo cùm ſancti nomine donatur ab orantibus, cultum *cui non debet & eo modo quo non debet exhiberi*, inſinuant infinita propemodum ſcripturæ ſacræ, Conciliorum, SS. Patrum, ceterorúmque Eccleſiaſticorum ſcriptorum teſtimonia, quibus tres tantùm Angeli perſcribuntur, Michaël, Gabriel, & Raphaël. Si enim Angelorum ordini, qui nonus eſt & vltimus, adjungeretur Vriel, Vrielem cum aliis Angelis tribus ſcriptura ſacra, Concilia, SS. Patres, ceteríque Eccleſiaſtici ſcriptores, vbi Angelos commemorant, ſuo nomine appellaſſent: non appellant tamen, etſi opportuna identidem appellandi ſeſe offerat occaſio.

Atenim S. Iſidorus Hiſpalenſis Epi-

ſcopus

ſcopus in cap. 2. libri de ordine creaturarum, nonum Angelorum ordinem accuratè, atque ex profeſſo enumerat in hunc modum: *Sciendum eſt quod quandocumque nominantur* Angeli, *ex officiorum proprietate, quando ad homines veniunt, ſumpſere vocabula: quia illa ſuperiorum ciuium ſumma ſocietas propriis nominibus non indiget. Inde* Michaël *dicitur, id eſt*, Quis ſicut Deus? *eo quod in fine ſæculi Antichriſtus contra eum qui ſe aduerſus Deum eriget, mittendus deſtinatur. Et* Gabriel, *id eſt*, fortitudo Dei, *ad Zachariam & Mariam virginem miſſus ſcribitur, vt qui quod humana natura denegabat, futurum eſſe prædixerat*, fortitudo Dei *diceretur. Ad Tobiam quoque* Raphaël, *id eſt*, Medicina Dei, *mittitur; nimirum vt qui diuinâ virtute ſalutem ferebat, non incongruè* Medicina Dei *nuncuparetur.* Nullum verò heic de Vriele vocabulum, neque vſpiam alibi in eo S. Iſidori libro, quantumuis multa de Angelis ediſſerat.

Vrielem etiam ſilet S. Gregorius Magnus homil. 34. in Euangelia ante

medium, vbi hunc de Angelis ſermonem inſtituit: *Hi qui minima nuntiant, Angeli: qui verò ſumma, Archangeli vocantur. Qui etiam priuatis nominibus cenſentur, vt ſignetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant.* Michaël *namque*, Quis vt Deus? Gabriel *autem* fortitudo Dei: Raphaël *verò dicitur* Medicina Dei. *Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michaël mitti perhibetur, vt ex ipſo actu & nomine detur intelligi, quia nullus poteſt facere quod facere praualet Deus. Ad Mariam quoque* Gabriel *mittitur qui* Dei fortitudo *nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aëreas poteſtates humilis apparere dignatus eſt.* Raphaël *quoque interpretatur vt diximus*, Medicina Dei, *quia dum Tobiæ oculos quaſi per officium curationis tetigit, cæcitatis illius tenebras terſit.* Angelos, *qui priuatis nominibus cenſentur*, enumerans beatus Gregorius, Vrielem, ſi agnouiſſet, nunquam recenſere prætermiſiſſet, illiúſque appellationem *Ignis Dei*, expoſitione ſignificare.

Origenes

Origenes denique (vt mittam ceteros omnes SS. Patres) priuata perſequens Angelorum nomina , quos precibus in noſtris ſolemus inclamare, ignotum ſibi Vrielem ſatis abundanter & illuminatè declarat in lib.1.contra Celſum, ante initium, vbi ſcribit: *Cùm verò nominum latentem & altiorem ſignificantiam,quis poterit prudenter inquirere, per quam multa comperiet de Angelorum Dei nuncupatione huiuſmodi, quorum is quidem* Michaël , Gabriel *alius, &* Raphaël *item alius denominabitur, non abſimile rebus ſortiti cognomen, quas ad Dei nutum omnipotentis, paſſim eorum miniſterio exequuntur.* Eo etenim in loco, aut nunquam alibi *Vriel* erat Origeni nominandus , ſi *Vriel* fuiſſet Origeni notus & exploratus.

Vnos itaque felices Angelos, Michaëlem , Gabrielem & Raphaëlem veneremur, quandoquidem vnos omnes propemodum Eccleſiæ Patres perhibent, & eos vnos ſequentia teſtimonia colendos definiunt.

Primum Karoli Magni Imperatoris

eſt qui in Capitularium libro 1. capit. 16. hæc ſtatuit: *In eodem Concilio* Laodicenſi *præcipitur vt ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur niſi illorum quos habemus in auctoritate: hi ſunt Michaël, Gabriel, Raphaël.* Quæ verba leguntur etiam in eiuſdem Imperatoris conſtitutionibus quas an. 1545. cum adnotationibus & Præfationibus edidit Vitus Amerpachius, pag. 14.

Secundum habet Haïto Baſileenſis Epiſcopus, qui Karolo Magno imperante floruit, & Capitulare *presbyteris ſuæ diœceſis ordinauit* (quod tu, vir eruditiſſime, in 6. Spicilegij tui tomo primus euulgaſti) cuius Capitularis verba ſunt iſta ex capit. 19. *Aliud in Eccleſia non legatur, aut cantetur, niſi ea quæ auctoritatis diuinæ ſunt & Patrum orthodoxorum ſanxit auctoritas: nec falſa Angelorum nomina colant, ſed ea tantùm quæ Prophetica & Euangelica docet ſcriptura, id eſt Michaël, Gabriel, Raphaël.*

Tertium denique ex Concilio quodam Aurelianenſi depromitur, apud

Buchar

Buchardum VVormatienſem Epiſcopum, in lib. 3. Decreti, cap. 198. his vocibus cum Haïtonis omnino conuenientibus: *Nihil aliud in Eccleſia legatur aut cantetur, niſi ea quæ auctoritatis diuinæ ſunt, & Patrum orthodoxorum ſanxit auctoritas. Nec falſa Angelorum nomina colant, ſed ea tantùm quæ prophetica & Euangelica docet ſcriptura, id eſt Michaël, Gabriel, Raphaël.*

Cùm ergo alios à Michaële, Gabriele & Raphaële, bonos Angelos, *prophetica* nobis *& Euangelica ſcriptura* non repræſentet, minimè orandum Vrielem in aperto eſt, quem neque *prophetica*, neque *Euangelica ſcriptura* commemorat. Qui enim in lib. 2. Paralipomenon cap. 13. *Vriel* appellatur, Angelus non eſt, ſed homo, Maacha, ſiue Michai matris Abiam regis Iuda Pater, in lib. 3. Regum cap. 15. *Abeſſalom* nominatus.

Adde quod cùm ex omnibus omnium temporum & Eccleſiarum omnium Litaniis nulla ſit in quâ Vrielis nomen deprehendatur expreſſum, mirum

rum oppido videatur, quo fato fieri potuerit vt in quibuſdam libris nobis Vriel pro infirmo rogandus obtruſus ſit. Antiquos iuxta atque recentiores plurimos conferendæ extremæ-vnctionis ritus vigilanter perluſtraui; in antiquis pluribus Litanias nullas reperi; in quibus reperi, vbique omiſſum Vrielem animaduerti. Triplicem eius generis ritum (vir clariſſime) ex MSS. voluminibus emiſit in lucem qui ſumma familiaritate tecum conjunctus erat doctiſſimus Hugo Menardus, in notis & obſeruationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorij Magni. Vnum ex codice MS. Ratoldi Abbatis Corbeïenſis: alterum ex codice MS. Tilliano: tertium denique ex codice MS. Monaſterij S. Remigij Remis fundati. In vtroque priori, Litania nulla legitur; In poſtremo ſat prolixam videas, in qua tamen hoc vnum de Angelis reperire eſt: *S. Michaël ora pro illo; S. Gabriel, ora pro illo; S. Raphaël, ora pro illo; omnes SS. Archangeli, orate pro illo.* Vnde igitur nobis:

S. Vriel

S. Vriel ora pro eo, vel *pro ea*, diuinare non poſſum? Vriel, enim non Angeli fortunati, ſed cacodæmonis nomen eſſe ex Concilio Romano 2. quod à Zacharia Pontifice aduerſus Clementem quemdam & Adalbertum, anno 745. coactum eſt, liquidò intelligitur. Ibi namque in actione 3. recitatur indigeſta atque inconcinna Adalberti oratio, cuius hæc eſt pars poſtrema: *Precor vos, & conjuro vos & ſupplico me ad vos Angele Vriel, Angele Raguel, Angele Tubuel, Angele Michaël, Angele Inias, Angele Tubuos, Angele Sabaoc, Angele Simiel.* Statímque ſubjungitur: *Dum verò hæc oratio ſacrilega vſque in finem perlecta fuiſſet, Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Quid ad hæc ſanctiſſimi fratres reſpondetis? ſanctiſſimi Epiſcopi & venerabiles presbyteri reſponderunt: Quid aliud agendum eſt niſi vt omnia quæ nobis relecta ſunt igni concrementur, auctores verò eorum anathematis vinculo percellantur? Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaelis, ſed nomina dæmonum ſunt, quæ in ſuis orationibus inuo-*

cauit

cauit ad præſtandum auxilium ſibi. Nos autem vt à veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur & diuina tradit auctoritas non plus, quàm trium Angelorum nomina cognoſcimus, id eſt, Michael, Gabriel, Raphael: alioquin ſub obtentu Angelorum, dæmonum nomina introduxit. Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit. Optimè prouiſum eſt à veſtra ſanctitate, vt ſcripta illius omnia igne crementur.

Quod ſi, quemadmodum nemo iure inficiabitur, Dæmonis nomen Vriel eſt: cuius ſe peccati vinculo obligent qui Vrielem precantur, ex Caietano diſcant in Commentariis ad 2.2.quæſt. 70. art.1. ſic ſcribente: *Inuocatio Dæmonum eſt manifeſtè illicita & peccatum mortale ſpectans ad apoſtaſiam.* Diſcant ſe quamdam cum Dæmonibus inire ſocietatem, quam S. Auguſtinus in libri 2. de doctrina Chriſtiana cap. 23. *formidandam atque vitandam eſſe* tradit, *quia nihil cum principe ſuo diabolo niſi reditum noſtrum claudere atque obſerare conantur:* & quâ S. Paulus in epiſt. 1. ad Corinthios cap. 10. ita Chriſtianis omnibus

nibus interdicit. *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & Dæmoniorum.* Diſcant denique multò tutius eſſe cum Eccleſia Catholica tres tantùm Angelos, Michaëlem, Gabrielem, & Raphaëlem in ſui patrocinium aduocare, quàm Vrielem ipſis cum Adalberto hæretico adjungere, eiúſque opem implorare.

A pageto itaque mihi è precibus Eccleſiaſticis Vrielem, licèt in libro 4. Eſdræ memoratum. Etſi enim à Beato Ambroſio tum in libro de bono mortis, tum in lib. 2. Commentariorum in Lucam, tum denique in epiſt. 21. ad Horatianum laudetur liber iſte, apocryphum tamen eſſe, nulliúſque auctoritatis in Eccleſia, inde conficitur, quòd Canonicis libris à nullo eos recenſente Concilio adnumeretur: quòd neque Græcè, neque Hebraicè ſcriptus reperiatur: quòd nunquam & nuſquam ſacer aut diuinus apud Eccleſiaſticos tractatores appelletur: quòd ex eo nihil

vſpiam

vſpiam in diuinis officiis prælegatur: quòd apocryphus pleriſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis nominetur, maximéque S. Hieronymo, præfatione in Eſdram & Nehemiam ad Domnionem & Rogatianum, in qua ſcribit: *Nec quemquam moueat quòd vnus à nobis* Eſdræ *liber editus eſt, nec apocryphorum tertij & quarti ſomniis delectetur: quia & apud Hebræos Eſdræ Nehemiæque ſermones, in vnum volumen coarctantur: & quæ non habentur apud illos, nec de viginti quatuor ſenibus ſunt, procul abiicienda*: Quòd in capite 6. fabuloſa nonnulla de animis Henoch & Leuiathan, quos aqua non poterat continere, ita commemoret: *Conſeruaſti duas animas, nomen vni vocaſti Henoch, & nomen ſecundæ vocaſti Leuiathan, & ſeparaſti ea ab alterutro: non enim poterat ſeptima pars, vbi erat aqua congregata, capere ea. Et dediſti Henoch vnam partem quæ ſiccata eſt tertio die, vt habitet in ea, vbi ſunt montes mille. Leuiathan autem dediſti ſeptimam partem humidam, & ſeruaſti eam vt fiat in deuorationem quibuſuis & quandouis*: Quæ pura

puta

puta ſunt ſomniantium Rabbinorum deliria, ſacrorum ſcriptorum auctoritate indigniſſima Ac denique quod poſt recenſita Concilij Romani quæ ſupra protulimus vocabula, Baronius Cardinalis in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti 745. numero 36. ſcribat: *hæc Patres; quibus perſpicuè intelligis librum quartum Eſdræ nomine vulgatum, in quo frequens eſt mentio Angeli Vriel, ab Eccleſia Romana proſcriptum, penituſque eſſe rejectum.*

Meminit quidem Vrielis, eúmque ſanctis Angelis adſcribit Ioannes Stephanus Durantus, primus in Senatu Toloſano Præſes, lib. 1. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 31. §. 11. vbi habet: *ſunt & alij* præter Michaëlem *Archangeli quorum nomina, ſeu potius agnomina ad nos peruenerunt, Gabriel, Raphael, Vriel.* Et poſtea: *Vrielis meminit S. Ambroſius lib. 3. de fide cap. 2. ibi*: Non moritur Gabriel, non moritur Raphaël, non moritur Vriel. Sed (vt omittam dicere fortaſſis eo loci S. Ambroſium ad mentem auctoris libri 4 Eſdræ, quem

ſæpius citat, locutum eſſe) quod continuè refert Durantus ex Glica, omnem videtur Vrieli auctoritatem abrogare. Subjungit enim: Perhibetur (*ait*
„ *Glicas part.* 1. *Annal. ea. de Cajanitarum*
„ *ſecta*, diuinum Angelum Vrielem,
„ cuius eſt inter aſtra ſtatio, deſcen-
„ diſſe ad Sethum & Henochum,
„ eóſque de temporum anni, menſium
„ conuerſionum, ipſorúmque annorum
„ adeo diſcriminibus erudiiſſe. *Alibi*
„ *idem Glicas enarrans Tobiæ hiſtoriam ex*
„ *Pſello ſcribit*: appellationem Vrielis
„ nec priſci fœderis libris, nec noui
„ contineri) eámque exſtare in libro
„ quodam Hebraïco, qui habet inſcri-
„ ptionem, *Precationes Ioſephi*: Quæ enim
„ in priore loco à Glica enarrantur, è lutulentis maleferiatorum Rabbinorum fontibus erupere. Deinde verò ſi neque in veteris, neque in noui inſtrumenti voluminibus reperitur Vrielis appellatio, cuius tandem ponderis & fidei apud Chriſtianos eſſe poterit? At, inquies, in Ioſephi Precationibus Hebraïcis legitur? Quid tum? Quonam

nam auctore prodierunt eiuſmodi Precationes? Quo nituntur teſtimonio? Quam vim habent? cuius ſunt momenti apud Eruditos? Quis porrò exponat nobis vtrum Precationes illæ Ioſephi Vrielem, Angelum ſanctum, an malum Angelum nominent? fortaſſe cacodæmonibus adjungunt, veluti laudatum antea ſub Zacharia Romano Pontifice Romanum Concilium ſecundum fortaſſe etiam in eo quod producit Durantus S. Ambroſij teſtimonio, Vrielem non mori cenſet Mediolanenſis ille Præſul: non quia bonus Angelus Vriel ſit, quemadmodum Raphaël & Gabriel: ſed quia mali Angeli, quorum Vriel eſt, iuxta ac boni, ſint immortales.

Atque hæc cùm ita habeant, vir Religioſiſſime, Romanæ potius Eccleſiæ Vrielem in Romano Concilio 2 dæmonibus accenſenti, quàm inter rejectanea poſito & Vrielem Angeli nomine indigitanti libro 4. Eſdræ, adſentiendum reor, delendúmque penitus è libris in quibus habetur *Sancte Vriel ora*

pro eo, vel, *pro ea*, ne vllus in Eccleſiaſticis orationibus ſuperſtitioſo cultui locus relinquatur.

Verùm hæc paulò fuſius quàm Epiſtolæ ratio poſtulabat proſecutum me intelligo. Hoc amico lubens condonabis (vir amiciſſime. Breuiùs explicari vix ac ne vix quidem potuit, quod olim tibi ſubito mentis & memoriæ impetu, priuatum inter colloquium, de Vriele effuderam. Age modò, & ad legendam *de Retinenda in Eccleſiaſticis libris voce* Paraclitus, Diſſertationem aggredere, quam Clariſſimo nomini tuo in perennem veteris amicitiæ noſtræ teſtificationem conſecro. Vale, &, quod facis, me ama. In Camporotundo, Kalendis Februariis an. R. S. H. MDCLXIX.

23

PRÆFATIO.

ANTIQVITATEM magnopere ſemper vt ſuſpexit Eccleſia, ſic illi ſemper plurimum ſuſpecta fuit nouitas, & ea præſertim quæ, quod ſapientibus majorum calculis comprobatum eſt, conatur infringere. Vt moribus antiquis ſtat, vbique mores antiquos retinet, qui filiorum ſuorum pietati non officiunt, veritatémque, cuius columna & firmamentum eſt, non lædunt. Quo intolerabiliores videntur qui receptas in Eccleſia ab omni æuo conſuetudines, contra ius & æquum labefactant, euertunt ſuſque deque.

Talia nouiſſimis hiſce temporibus qui meditari auſi fuerint, qui talia exequi, non defuere. Singulos percenſere longius ſit. Eos ſolùm heic loquor, quorum

operæ & labori, ex ſacrorum Conciliorum ſtatutis, Eccleſiaſticorum librorum emendatio & cenſura commiſſa ſunt. Quot enim illi & quanta reliquerunt intacta, quæ erant penitùs abolenda? Quot aboleuerunt & quanta, quæ relinquenda? Et vnde, hoc amabo? Niſi quia ad illud lucubrationis genus ſuſcipiendum ſelecti ſunt aliquando homines audaculi, antiquitatis Eccleſiaſticæ non admodum gnari, omnia inſuper ex ſuo ipſorum ingenio metientes, in Latinis denique non aliter latinè loquentes aut ſcribentes, quàm aliquis ferreâ ſeu etiam luteâ latini ſermonis ætate foſſor vel caprimulgus.

Hinc Cæremonialia quædam prodierunt in lucem indignis Eccleſiaſticâ grauitate obſeruationibus dehoneſtata, inutilibus rubricis (aiunt) deturpata, ſolœciſmis ac barbariſmis referta. Hinc etiam Proceſſionalia, Pſalteria, & Miſſalia in ijſdem officinis fabricata ſunt, quibus Eccleſiarum quarum in vſum eduntur, decori non conſulitur ſatis, dum ea immutantur quæ in veteribus

illarum

llarum libris longiſſimo vſu fuerant quodammodo conſecrata. Cenſorum parco nominibus, futurum ſperans ut aliquando reſipiſcant, erroréſque ſuos, melius conſulti corrigant. Interim verò quàm malè in laudatis modo Eccleſiaſticis voluminibus Paraclētus *pro* Paraclītus *ſubſtituerint, ex hoc noſtro commentariolo accipiant.*

Nimirum in diuinis officiis legit ſcripsítque Paraclītus *penultimâ breui, tota propemodum antiquitas; legerunt ſcripſeruntque nobiles Eccleſiæ quibus addicti ſunt aliquo titulo Cenſores eiuſmodi. Quantumlibet mediocris literaturæ homines legendum tamen ſcribendúmque* Paraclētus *penultimâ productâ, ipſi mordicus contendunt. Hoc arguo, hoc confuto, & iis quidem rationibus confuto, quæ in Eccleſiaſticis officiis & libris omnibus retinendam eſſe vocem* Paraclītus *euincant, aut vehementer fallor. Vtrum attigerim ſcopum, tu videris, lector, & ſi quando in eius ordinis homines incideris, fac ſecum* habitent & norint quàm ſit *ſibi* curta ſupellex, *antequàm ali-*

quid in Eccleſiaſticis libris immutent; fac ad id munus, vt par eſt, obeundum, ſummo iudicio, multo vſu, exquiſitâ eruditione, frequenti peritorum eâ in arte virorum conſuetudine, opus eſſe intelligant.

25

DE RETINENDA IN ECCLESIASTICIS LIBRIS VOCE, PARACLĬTVS, DISSERTATIO.

§. I.

SANCTI Sanctorum ſponſam, Sanctorúmque parentem Eccleſiam, ſanctam eſſe oportuit. Sanctitate concepit eam Chriſtus, ſanctitatis auctor; ſanctitate peperit, ſanctitate lactauit, ſanctitate totam perfudit,

perfudit, pro ipſa vitam cum ſanguine d m profudit. Exquiſitam ſanctitatem exquiſita præcellit lotio, quæ rugas eius eraſit, maculas abluit, & abluendo, *Quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, aboleuit. O miram igitur Eccleſiæ formoſitatem, nullis caperatam rugis, nullis deturpatam maculis, quam *Ipſi ſibi glorioſam exhibuit*, qui gloriam omnibus impartitur! Sed ô miram circa res humanas Dei prouidentiam! Nihil adeo ſacrum eſt vt ſacrilegum non inueniat. Eccleſiam ſacram patitur Deus à ſacrilegis hæreticis contumelioſè impeti; à catholicis aliquando incautè lædi.

Hæretici inuictam Eccleſiæ fidem nituntur euincere, incorruptam diſciplinam corrumpere, immota fundamenta commouere, & rapacium luporum inſtar Dominico ouili inſidiantium, ad lætas diuini paſtoris caulas ac pinguia ſemper fremunt paſcua, aſperi & improbi irâ in errantes oues deſæuiunt; tum ſi quam imbecilliorem nacti ſint, crudeliter depaſcuntur, quam in toto non poſſunt corpore, in membris ſaltem infirmioribus rabiem exſaturantes. Neque enim vniuerſum Eccleſiæ corpus, quod à Spiritu ſancto tamquam ab anima regitur, ab iis vmquam diſcerpi potuit, aut poterit vmquam. Aliquando illi, quod viperis in more poſitum eſt, matris Eccleſiæ, antequam ab ea ſejungantur, viſcera dilaniant: at cor manet integrum,

integrum, nullóque vulnere ſauciatum: etſi quando mœrens adpareat, nouis ſubinde gaudiis à Chriſto capite, perenni gaudiorum fonte, reficitur.

Catholici, probi iuxtà atque improbi, Eccleſiæ quoque non parum adferunt incommodi. Improbi in eo crudeliores ſunt hæreticis, quòd velut lupi intra ouile poſiti mactent & perdant obuias oues quaſlibet, dum videlicet prauis moribus homines pios offendunt, linguæ veneno inficiunt, diſſenſionum ſemina ſpargunt in vulgus, ac ſub honeſti ſpecie ſpecioſam Eccleſiæ faciem inhoneſtis actis dehoneſtant. Probi etiam quandoque bonâ fide ducti, bono fine moti quantumlibet, cùm maximè *æmulationem* illam *Dei habent* quæ non eſt *ſecundum ſcientiam*, non rarò ea adſcribunt Eccleſiæ, quæ cùm in Eccleſiæ honorem atque ædificationem vergere opinentur, ipſi coram infirmis offendiculo & dedecori eſſe poſſunt. Clamat S. Auguſtinus in lib. de vera religione cap. LV. *Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris: melius eſt enim qualecumque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt. Melius eſt vera ſtipula, quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.* Nec tamen defuere olim deſuntque adhuc homines minimè mali, qui aut ſuperſtitionem in verum veri Dei cultum inuehere, aut ab aliis inuectam probare atque amplexari non dubitant. *Verax* fuit

ſemper

ſemper Eccleſia pro veritate defenſio, nec vmquam fuit indiga falſitatis, præclarè obſeruat Facundus Hermianenſis Epiſcopus in lib. v. pro defenſ. trium capit. cap. 1. Multis tamen Eccleſiaſticis ſcriptoribus, præſertimque quos Βιογράφους appellant, religio non fuit Cœlitum noſtrorum, illuſtriumque Eccleſiæ virorum vitas, vel falſis narrationibus, vel fictis miraculis, vel inanibus viſionibus inſpergere.

Neque modò illa in ſanctorum res præclarè geſtas intulere homines quidam nimium creduli, ſed & in ipſa diuina officia, quæ cùm ſanctiſſima eſſe & irrefutabilibus verbis conſtare oporteret, non ferendâ audaciâ nonnunquam hiſce falſitatibus temerantur. Quæ res cùm multis iam à ſæculis diligentes quoſdam ac ſeueros religionis Chriſtianæ profeſſores non fugerit, ſapienter pluribus in Conciliis fuit conſtitutum, vt Eccleſiaſticæ preces, & quotquot in Eccleſiis prælegi conſueuerunt libri, maximâ cum accuratione à piis & eruditis ſacrorum antiſtitibus, ad caſtigatæ veritatis veræque pietatis normam exigantur atque emendentur.

Verum enim vero ſi Eccleſiæ, quæ *columna eſt & firmamentum veritatis*, fœdam inurunt labem, qui commentis & erroribus Eccleſiaſtica pro nutu deturpant officia: eorum quoque maieſtatis non adeo ſtudioſos ſeſe præſtant, qui quod illa iam à longo tempore comprobauit,

probauit, palàm improbatum ex Eccleſiaſticis libris eradunt, vt noua quædam, veterique conſuetudini contraria è ſuo penu ſubſtituant.

Eius ordinis eſt quæ non ita pridem in diuinorum officiorum libris facta eſt mutatio vocis *Paraclītus* in *Paraclētus*. Nimirum priſci propemodum omnes Eccleſiaſtici libri habebant *Paraclītus*. In bibliis ſiquidem ſacris, in Miſſalibus libris, Gradualibus, Antiphonalibus & Ritualibus ſeu Manualibus, in Breuiariis, in Diurnis, in horariis voluminibus, in ſtricta oratione & in ſoluta, fermè vbique *Paraclītus* legebatur ſcribebatúrque, non ab iis tantùm qui Græci ſermonis rudes erant & imperiti, ſed & ab iis qui Græcè ſciebant. Diſplicuit ea ſcriptio nonnullis ſcriptoribus: diſplicuit ea lectio aliquibus ſacrorum voluminum Eccleſiaſticorúmque librorum cenſoribus: adeo vt illi perpetuò *Paraclētus* ſcripſerint; hi verò vbicumque *Paraclītus* inuenere (ferè autem vbique inuenere) legendum curauerint *Paracletus*. Sic *corrumpuntur antiqua Eccleſiarum obſeruationes* (vt ait Nicolaus Clemangius Bajocenſis Archidiaconus in libro de nouis celebritatibus non inſtituendis) *priſcus ritus, vetera ſtatuta violantur: corrumpuntur libri ordinarij & noua in dies abraſiones in illis fiunt, detractiones, additiones, lituræ, abolitiones. Et quid tam leue, tam inconſtans, tam turpe & ridiculoſum, quàm ſuum cotidie ordinem peruertere,*

re, ſuum morem mutare, ſuam formam deformare, ſuam regulam nouâ regulâ, imò nouâ irregularitate variare? Sic repudiatâ antiquitate venerabili, ſuperinducta eſt nouitas, vóxque *Paraclítus* climínata procul, quam antiquus vſus adoptarat. Sed antequam ad argumenta quibus oſtendatur illud aggrediar, quàm variè varios apud ſcriptores deriuetur & ſcribatur ſiue *Paraclitus*, ſiue *Paracletus*, nobis inueſtigandum occurrit.

Scribunt alij *Paraclitus* per *i* longum, alij per *i* breue, alij per *y* Græcorum, alij denique *Paracletus* per *e* productum.

Qui *Paraclítus* per *i* longum efferendum cenſent, alij à παράκλειτος deducendum cenſent, conuersâ diphthongo Græcâ & in *i* Latinum longum; alij à παράκλητος, quâ voce *Aduocatus, Patronus, fautor, interceſſor & conſolator* exprimitur. Priorem opinionem tuetur Iodocus Clicthoueus Pariſienſis ſcholæ Theologus & Eccleſiæ Carnotenſis Canonicus, in lib. I. Eccleſ. ad hymnum cuius initium eſt: *O Pater ſancte, mitis atque pie.* Verùm vt Clicthoueo concedam diphthongum Græcam ει, Latinis ſæpius verti per *i* longum, quod indicant manifeſtò Ἀλεξανδρεία, Κλειὼ, Βασίλειος & Νεῖλος, quæ à nobis *Alexandría, Clío, Baſilíus & Nilus* conuertuntur; ſcire velim vbinam legerit παράκλειτος per ει ſcriptum? voluantur reuoluantúrque Græca omnia λέξικα, &

& quod aliter habeat quàm παράκλητος per η, confido, ne vnum quidem inuenietur. Apageto igitur *Paraclitus* à παράκλητος deriuatus. Quare qui poſteriori ſententiæ adſtipulatur Theophilus Raynaudus è Ieſuitarum ſodalitio Theologus, rectiùs ſenſiſſe mihi videtur, dum in Minutalibus ſacris, punct. 11. à παράκλητος, mutato η in ι longum, *Paraclītus* dici poſſe adſeuerat. Atenim apud Græcos η aliquando in ι Latinum productum reſolui poſſe teſtantur hæ voces, *lira*, *lirare*, & *lorica*, quas à λῆρος, ληρεῖν & θώρηκα proficiſci docet Voſſius in tractatu de literarum permutatione.

Qui *Paraclĭtus*, per ι breue pronuntiant, alij dictum putant quaſi παρακλίτην, id eſt *aſſeſſorem, qui vnà diſcumbit cum aliquo, combibonem, commenſalem*, ſeu *compranſorem.* Alij deducunt à παρακλίνειν, quod *in eodem lecto accubare* ſignificat, vt Budæus adnotauit. Alij ab eodem verbo παρακλίνειν, quod idem eſt ac παρατρέπειν *auertere.* Sed eorum nulli (meâ quidem ſententiâ) rem acu tetigere. Quomodo enim Spiritum ſanctum dici παράκλητον intelligemus, quia *in eodem lecto accubat* cum Patre & filio? Quid ſibi volunt iſta? Quo ſenſu vocabitur παράκλητος Spiritus ſanctus, quia παρακλίτης eſt ſeu *combibo*, quod vitio vertit Tullius in 11. oratione Philippica? Quî cogitabimus Spiritum ſanctum eſſe παράκλητον quia παρακλίνει vel παρατρέπει? (hæc enim omnia innuit apud

Græcos

Græcos παρακλητον.) Spiritum ſanctum ſcio nos ab impietatis tramite auertere, Dei indignationem à nobis propulſare, ad virtutem nos inclinare, nos ad bonum incitare, Scripturæ ſenſum & fidei myſteria nobis aperire, nobis cœlum pandere. At violentiores ſunt iſtæ intelligentiæ omnes, quàm vt iis cordati ſobrijque viri aſſentiantur. Neque vero ſimile eſt Chriſtum Dominum ad cœleſtes euolantem domos Diſcipulis ſuis promiſiſſe alium παρακλητον, cuius præcipuæ partes eſſent *auertere, inclinare, incitare*, aut *adaperire*. Alium ſanè promiſit παράκλητον qui *doceret* Apoſtolos *omnia & ſuggereret omnia quæcumque dixerat* ipſis: Qui *teſtimonium perhiberet de* illo: Qui *argueret mundum de peccato & de iuſtitia & de iudicio* (quemadmodum ait S. Ioannes in Euangelij ſui capp. XIV. XV. & XVI. Non itaque per *i* correptum enunciandum eſt *Paraclĭtus*, origine ipſius ab omnibus his vocibus repetitâ.

Qui *Paraclytus* per *y* Græcum ſcribunt, & pauciſſimi ſunt numero, ductum velint neceſſe eſt à παράκλυτος, quod *infamem* & *ſine honore* deſignat. παράκλυτος namque opponitur τῷ κλυτὸς (quæ vox *clarum, celebrem* ac *inclitum* denotat) & particula παρὰ, priuatiua eſt hoc in loco. Quis autem παρακλύτου appellationem Spiritui ſancto conuenire niſi impius aut blaſphemus opinabitur?

Qui *Paraclētus* per *e* longum ſcribunt, alij

exiſtimant

exiſtimant à παράκλιτος dici, & ea quoque mens eſt Iodoci Clichthouei in prolato iam loco, quam ſtare neutiquam poſſe ex vniuerſali ſcriptione παράκλητος per η, non per ι, paulò ante demonſtrauimus; alij (quæ ſententia longè communior eſt) *Paraclétus* à παράκλητος per naturalem Grammaticæ analogiam fluere arbitrantur. Dicitur enim παράκλητος à παρακαλέω, hoc eſt παραμυθοῦμαι, ἱκετεύω, δέομαι. Et eo nomine Spiritus ſanctus donatur, ὡς πάντων τὰς παρακλήσεις δεχόμενος quòd aduocati inſtar, cuius eſt clientem ac reum inſtruere, conſolari exhortari, & pro iis apud iudicem intercedere, *doceat nos omnem veritatem*, conſoletur nos, *adjuuet infirmitatem noſtram* & *poſtulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vt loquitur S. Paulus in epiſt. ad Rom. cap. VIII. Atque hanc eſſe germanam vocabuli παράκλητος notionem confitétur Cardinalis Toletus adnot. XVII. in Ioan. cap. XIV. Franciſcus Philelphus lib XVII. epiſt. XLVI. Agnus Benignus Sanreyus in tract. de vera pronuntiatione vocis *Para letus*, & (vt ceteros omnes omittam) Deſiderius Eraſmus, qui hæc Ioannis XVI. cap. verba (ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς) ſic tranſtulit: *Si enim non abiero, conſolator ille non veniet ad vos*: & ita loquitur in lib. III. Eccleſiaſtæ: Paraclētus *quatenus ſonat conſolatorem, omnibus perſonis conuenit; quatenus ſonat aduocatum, eſt Spiritui cum filio commune.* Quòd

C verò

verò *Paraclētus* à παράκλητος familiariſſimâ permutatione *η* in *e* productum deducatur, quid multis probare neceſſe habeo, cùm id norint omnes qui Latinam Græcámque Grammaticas vel à primo lumine ſalutarunt.

Sed etſi aperta ſatis ſit, multíſque ſcriptoribus, ac præſertim recentioribus probata illa παράκλητος in *Paraclētus* transformatio; in Eccleſiaſticis tamen libris retinendam vocem *Paraclĭtus*, & quidem à παράκλητος deriuatam, tria potiſſimum ſunt rationum momenta quæ euincant. I. Recepta linguarum Græcæ ac Latinæ analogia. II. Conſtantes Latinæ proſodiæ Canones. III. Antiquus Eccleſiæ vſus, infinitis propemodum Eccleſiaſticis libris, cùm MSS. tum editis confirmatus. Quæ tria mihi in hac diſſertatione probanda ſuſcepi.

§. II.

EQuidem ego non inficias iverim, viâ magis tritâ & vſitatiori formatione à παράκλητος deduci *Paraclētus* quàm *Paraclĭtus*, qui Græcorum *η* per *e* Latinorum vulgò transferri ſciam. Nam *Hercules* ab Ἡρακλῆς, *Vulpes* ab ἀλώπηξ, *Theba* à Θήβη, *Thebaus* ac *Thebanus* à Θηβαῖος, *Clytemneſtra* à Κλυταιμνήστρα, *ver* ab Ionico ἦρ, ſecundum Varronem in lib. v. de L. L. *Caſteria* à χαστήρια, *procerus* ab Æolico πρόχηρ ſeu πρόχηρ, *Ganymedes* à Γανυμήδης,

pater

pater à πατὴρ, *athleta* ab ἀθλητὴς, ſceptrum à σκῆπτρον, *Ephebus* ab ἔφηβος, frater à φράτηρ, & *character* à χαρακτὴρ proficiſci, quis niſi in Græcia & Latio planè hoſpes ac peregrinus ignorat? At licet tritum illud iter ſit, atque (vt Græci dicunt, λεωφόρος: ab eo tamen qui deflectunt, cæco greſſu non incedere, neque ita à propoſitis aberrare carceribus demonſtrabo, vt Ariadnæo filo, quo ſe ſe poſſint expedire, opus habeant.

Norunt hoc qui Græcæ Latinæque linguarum myſteriis ſunt initiati, norunt quotquot vtriuſque linguæ vim & ἐνέργειαν proſpectam habent, non ſolùm ab η naſci *e*, ſed *i* etiam. Hinc S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus in libro de gloria Confeſſorum præ ceteris *cæmiterium* non ſemel pro *cæmeterium* dixit à Græco κοιμητήριον. Hinc *Monothelitas* hæreticos cuncti occidentales pro *Monotheletas* ſemper vocauere. Et ſanè quin *i* longum ab η oriatur, nemini, puto, dubium eſſe poteſt. At enim *figo* fit à πήγω, *lira* à λῆρος, *lirare* à ληρεῖν, *lorica* à θώρηκα, vti iam antea monuimus, *rima* à ῥῆγμα, *ſignum* à σημεῖον: quod idem quoque de pluribus aliis iſtiuſmodi formationibus valet adfirmari. Ab υ verò, Latinum *i* breue formari in aperto ponam ac propatulo. Nam Rigordus qui Philippi Auguſti geſta ad Ludouicum eius filium ante annos cccc x l. compoſuit, *dicti ſunt* (inquit) *Pariſij à Græco nomine pariſia, quod*

Digitized by Google

interpretatum ſonat audacia. Et Guillelmus Aremoricus in geſtis eiuſdem regis idem ſcribit: *ἀπὸ τῆ Pariſia Græco, quod ſonat audacia, vocati ſunt Pariſij:* quod apertius in lib. v. Philippidos tradit his verſibus;

Et ſe Pāriſios dixerunt nomine Græco,
Quod ſonat expoſitum noſtris audacia verbis.

Ergo ſi η in ĭ breue conuertebant Occidentales ſeu Latini & noſtri, παῤῥησία in *Pāriſia*, & alia id genus ſexcenta, quare à παράκλητος non erit *Paraclĭtus*?

Si enim (vt Voſſius in tract. de lit. permutat.) ab ἀκὴ dicitur *acies*, ab ἀρυγὴ ſeu ὀρυγὴ, *arrugia* (cuniculi è quibus aurum effoditur) à γλήμη Æolico pro λήμη Heſychio teſte, *gramia* (oculorum pituita) à πυρὴν *apyrinus*, ab ἀρσὴν, *arſineum* (muliebris capitis ornamentum) à βλῆτον, *blitum* & *bliteus*, à γηγενὴς, *gigas*, à νὴ & μεῖον, *nimium*, ab ἐσθὴς, *veſtis*, à δαὴρ, *deuir* & poſtea *leuir*, à τυρβὴ, turpis, à γάβη, vel κάυη, *gauia* (auis vorax) à κόγχη, *congia*, ab ὁμηλία, *familia*, à ῥιγηλὸς, *rigidus*, à σπουδὴ, ſtudium ab ἀζηχὲς poëtico, pro ἀδιεχὲς, hoc eſt ἀδιαλείπτως, *aſſiduè*; cur etiam à παράκλητος non dicetur *Paraclĭtus* penultimâ correptâ?

Sed fac pronuntiari debere *Paraclētus* penultimâ longâ, quid impedit quominus pariter pronuntietur *Paraclĭtus* penultimâ breui? Et quis adeo rudis eſt Latinæ linguæ vt neſciat ĭ breue pro ē longo ſæpius vſurpatum? Multis hoc

31

hoc exemplis oſtendit doctiſſimus Paſſeratius in lib. de lit. inter ſe cognat. & permutatione. Ibi enim ſcribi dicit *accedis* pro *accedit* : *decidis* pro *decedis* : *adis* & *ades* : *calles* & *callis* : *canes* & *canis* : *cines* & *cinis* : *feles* & *felis* : *fomis* & *fomes* : *funes ſubductarios* pro *funis ſubductarius* : *Getis* & *Getes* : *Bootis* & *Bootes* : *improlis* & *improles* : *impubis* & *impubes* : *impuges* & *impugis* : *nubis* & *nubes* : *procapis* & *procapes* : *recedere* pro *recidere* : *ſcrobis* & *ſcrobes* : *torques* & *torquis* : *torres* & *torris* : *verris* recto caſu pro *verres* : *comis* & *comes* : *hoſpis* & *hoſpes* : *plebis* & *plebes* : *pubis* & *pubes* : *ſaginis* pro *ſagines* : *ſatellis* & *ſatelles* : *ſedis* pro *ſedes* : *tramis* & *trames*. Itaque ſi veteribus Latinis *i* breue pro *e* longo licuit aliquando efferre ; cur antiquis diuinorum officiorum concinnatoribus, Eccleſiaſticorúmque librorum ſcriptoribus vetuſtis *Paraclĭtus* pro *Paraclētus* efferre non licuit ?

Deinde verò cui latet priſcos Latinos literis *i* & *e* promiſcuè & indifferenter vſos ? conſtat illud ex Agelli noctium Att. lib. x. cap. xxiv. vbi legitur : *Extremam illius vocis* quinti *ſyllabam tum per* e, *tum per* i *ſcriptam legi. Nam ſanè quàm conſuetum iis veteribus fuerit literis his plerumque vti indifferenter, ſicuti* præfiſcini *&* præfiſcine, procliui *&* procliue, *atque alia item multa hoc genus variè dixerunt.* Conſtat prætererea ex Macrobij lib. I Saturn. cap. IV. in quo habetur : *Sed nec die craſtini à doctiſſimo viro ſin-*

veterum auctoritate prolatum eſt, quibus mos erat modò die quinti, *modò* die quinte, *pro aduerbio copulatè dicere. Cuius indicium eſt, quod ſyllaba ſecunda corripitur, quæ naturâ producitur, cùm ſolùm dicitur* die. *Quòd autem diximus, extremam iſtius vocis ſyllabam tum per* e *tum per* i *ſcribi, conſuetum id veteribus fuit vt his literis plerumque in fine indifferenter vterentur, ſicut* priſtine *&* priſtini, procliue procliui. Conſtat inſuper ex Voſſij jam laudato de lit. permut. tractatu, vbi illud ipſum atteſtatur, ac veteribus Latinis *germin* & *germen*, *rumin* & *rumen* pronunciatum ſcribit. Conſtat denique ex antea memorato Paſſeratij libro de lit. inter ſe cognat. ac permut. in quo multis id exemplis adſeritur. Nam (inquit) *aquâ parti* dicitur pro *aquâ parte*: *artifice* & *artifici*: *atque* & *atqui*: *corbi* pro *corbe*: *culex* & *culix*: *decim* & *decem*: *dentis* & *dentex*: *dy* pro *die*: *dumni* & *dumne*: *ſegeti* pro *ſegete*: *face* & *faci*: *firmi* pro *fermè*: *herè* & *heri*: *ſinape* pro *ſinapi*: *liti cadere* pro *lite cadere*: *lentim* & *lentem*: *arigilim* & *arigilem*: *luce* & *luci*: *mani* & *manè*: *matrex* & *matrix*: *me* pro *mi*: *meſſi factâ* pro *meſſe factâ*: *mins* & *mens*: *ne* pro *ni*, & *ni* pro *ne*: *Pontifix* & *Pontifex*: *pulix* & *pulex*: *quaſe* pro *quaſi*: *ſibe* pro *ſibi*: *ſaltim* & *ſaltem*: *ſe* pro *ſi*: *ſeptemdecim* & *ſeptemdecem*: *temperint* & *temperent*: *tumix* & *tumex*.

Neque in fine ſolummodo (quod falsò putauit

tauit Macrobius) *i* & *e* ἀδιαφόρως vtebantur Latinitatis auctores antiqui, ſed in primis etiam atque in mediis dictionum ſyllabis. Aiebant enim, Vollio & Palliratio teſtantibus, *maciſcat* & *maceſcat*, *putiſcat* & *puteſcat*. Aiebant præterea apud Paſſeratium, *acitabulum* & *acetabulum*: *adoria* & *adorea*: *aduliſcens*, *aduliſcentula* pro *adoleſcens*, *adoleſcentula*: *benificus* pro *beneficus*: *calcius*, *calcio*, *calciamentum*, pro *calceus*, *calceo*, *calceamentum*: *capriola* pro *capreola*: *caſtaria* & *caſtanea*: *cautola* & *cauiola*: *citra* pro *cetra*: *coetus* pro *coetus*: *cupedo* & *cupido*: *cupidia* & *cupedia*: *demittere* pro *dimittere*: *deuiſum* pro *diuiſum*: *diffinio* & *diffinitio* pro *definio* & *definitio*: *dilator* pro *delator*: *diſciuit* pro *deſciuit*: *diſcriptio* pro *deſcriptio*: *diſipit* pro *deſipit*: *diſſultor* pro *deſultor*: *diſtructio* pro *deſtructio*: *diuirginat* pro *deuirginat*: *erinacius* pro *erinaceus*: *faſilus* pro *feſelus*: *femilla* pro *femella*: *framia* pro *framea*: *lauria* pro *laurea*: *hirnia* & *hirnioſus* pro *hernia* & *hernioſus*: *imina* pro *hemina*: *indigina* pro *indigena*: *iricius* pro *ericius*: *iunipirum* pro *iuniperum*: *lancia* & *lanciarius* pro *lancea* & *lancearius*: *linia* pro *linea*. *lintiamen* & *lintiarius* pro *linteamen* & *lintearius*: *malificus* & *malificium*, pro *maleficus* & *maleficium*: *maliuolus* & *maliuolentia*, pro *maleuolus* & *maleuolentia*, *nitum* pro *netum*: *nubicula* pro *nubecula*: *peditemptim* pro *pedetentim* *phaſiolus* & *phaſeolus*: *proilium* & *proelium*:

Digitized by Google

Scarabius pro *ſcarabeus*: *ſpiſſiſcit* pro *ſpiſſeſcit*: *talia* & *talia* pro *talea* & *talea*: *timo* & *temo*: *timpus* κρότα⊕ pro *tempus*: *tremibundus* & *tremebundus*: *tricenta* pro *trecenta*: *turpido* pro *torpedo*: *vetem* pro *vitem*: *vindimia* & *vindimiat* pro *vindemia* & *vindemiat*: *virgiliæ* & *vergiliæ*: *virideolium* pro *virideoleum*: *volpicula* pro *vulpecula*: *vltronius* pro *vltroneus*: & *vrciolus* pro *vrceolus* Cum igitur priſci Latini ſæpiſſime *i* pro *e*, & contra *e* pro *i* adhibuerint, quare, etiamſi Paraclētus dici debere concederemus, Paraclītus quoque optimè dici poſſe negabitur?

At (inquies) quando *i* pro *e* apud Latinos veteres accipitur, eamdem prorſus ſyllabarum habet quantitatem. Nam ex. gr. vbi *dēſipit* ſcribitur pro *deſipit*, in vtroque antepenultima longa eſt: vbi *adoria* pro *adorea*, vtrobique penultima corripitur: & vbi *cortix* pro *cortex*, vtrobique vltima producitur. Quapropter ſi *Paraclitus* ſcribatur pro *Paracletus*, cùm penultima producatur in *Paraclētus*, producenda etiam erit in *Paraclitus*. Quo fiet vt in fine verſus jambici dimetri acatalecti, voces *Paraclitus*, *Paraclito* & *Paraclitum* penultimâ longâ, malè & contra communes Latinæ proſodiæ regulas collocentur.

Verùm iſta quicumque nobis objicit, ſcire velim vnde habeat, cùm *i* pro *e* effertur ſcribitúrque, eamdem ſemper eſſe vtriuſque ſyllabæ

bæ quantitatem? Imò multa ſunt à nobis allata ſuperiùs vocabula, in quibus diuerſa planè eſt vtriuſque ſyllabæ quantitas. Atenim dum dicitur *canes* & *canis*, *ædes* & *ædis*, *cines* & *cinis*, *nubes* & *nubis*, vltima *es* producitur, vltima *is* breuiatur: & dum legitur *accidit* pro *accedit*, ac *decidis* pro *decedit*, penultima *ci* corripitur, penultima *ce* longa eſt. Atque ideo quamuis dicendum eſſet *Paraclētus* per *e* longum, etiam *Paraclĭtus* per *i* breue quominus dicatur nihil impedit.

Præterea cùm *Paraclĭtus* receptum ſit in Eccleſia firmatúmque vſu longæuo, ſanè nec recepto, nec firmato *Paraclētus* præferri debet atque antecellere. *In his* enim *rebus* (optimè admonet S.Auguſtinus in ep. LXXXVI. ad Caſulanum) *de quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt: & ſicut preuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt.* Quare *conſuetudo præcedens & ratio quæ conſuetudinem ſuaſit, tenenda eſt*, vt habetur in lib. VIII. Cod. tit. *Quæ ſit longa conſuetudo.* Nam & *Diuturni mores* (inquit Iuſtinianus Imperator, in lib. I. inſtit. tit. II.) *conſenſu vtentium adprobati legem imitantur.* Sed iam tempus eſt vt *Paraclētus* ſeu *Paraclĭtus* conſtantibus ac perpetuis Latinorum Grammaticorum de proſodia canonibus repugnare oſtendam; ac proinde *Paraclĭtus*

raclītus neceſſariò dicendum & ſcribendum eſſe.

§. III.

Atque hæc ſecunda Diſſertationis noſtræ pars Eccleſiaſticos præſertim ad hymnos, rectámque vocis *Paraclītus* in aliis Eccleſiaſticis precibus proſà oratione conſcriptis pronuntiationem attinet. Et reuerà cùm certâ quâdam pedum menſurâ conſtent Eccleſiaſtici hymni, & pedes ex longis aut breuibus ſyllabis conſurgant, vocéſque ſecundùm natiuam ſuarum ſyllabarum quantitatem, etiam in ſoluto ſermone proferendæ ſint: plurimùm videtur intereſſe vtrum in diuinis officiis vna ſyllaba corripiatur, quæ producenda ſit, altera producatur, quæ corripienda. Niſi autem contra ſtaret Eccleſiæ Catholicæ vſus, nihil (vt dicam quod res eſt) incommodi conſequeretur ſi in oratione liberâ legeretur *Paraclētus*; ſi in Euangelio quod ex S. Ioannis cap. xv. dicitur Dominicâ infra octauam Adſcenſionis pſallerent: *Cùm venerit Paraclētus quem ego mittam vobis à patre*; Si in eo quod ex eiuſdem S. Ioannis cap. xiv. recitatur in vigilia Pentecoſtes intonarent: *Ego rogabo patrem & alium Paraclētum dabit vobis*; ſi denique ex eo quod in memorato cap. xiv. habetur ipſo die Pentecoſtes, canerent: *Paraclētus autem Spiritus ſanctus,*

ctus, quem mittet pater in nomine meo; ille vos docebit omnia. At verò cùm in antiquis ferè omnibus Eccleſiaſticis libris ſcribatur *Paraclitus,* & in cunctis propemodum Eccleſiaſticis hymnis efferri debeat: maxima doctarum aurium offenſio eſt, ſi in eiuſmodi hymnis, & iis præcipue in quibus Latinæ ſyllabarum quantitatis habetur aliqua ratio, *Paraclitus* pronuntietur. Cui enim eruditorum hominum non verberantur, non obtunduntur, non lacerantur aures, quotieſcumque auditur vel *Cum ſpiritu Paracleto,* vel *Sancto ſimul Paracleto,* vel *Et Spiritu Paraclĕto,* vel *Cùm ſpiritus Paraclĕtus?*

Eccleſiaſticos poëtas ſcio non omnes exactè & ad exquiſitam proſodiæ Latinorum amuſſim ſuos hymnos edidiſſe; eorum pleroſque ſcio ſyllabarum quantitatem non curaſſe ita diligenter, quam *Negligit* interdum in ſenſum pium intentus animus, vt de ſe ipſe loquitur S. Bernardus de ſuo S. Victoris hymno agens; ſcio præter Prudentium, Sedulium, Fortunatum, Theodulphum auctorem carminis, *Gloria laus & honor* &c. quod in carcere Andegauenſi, in quem Ludouicj Pij Imperatoris juſſu conjectus fuerat, ſuauiter coram omnibus ipsâ die Dominicâ Palmarum concinuit: Lactantium ſcripterem hymni Paſchalis, *Salue feſta dies* &c. Incertum auctorem hymni, *Audi benigne conditor* &c. S. Fulbertum, cui vulgo tribuitur hymnus, *Chorus noua Ieruſalem* &c.

licèt

licèt alij quidam (vt Clicthoveus) ipſum S. Ambroſio adſcribant: nonnullóſque alios ὑμνογράφους ϗ ὑμνῳδοὺς, vix inueniri poſſe qui in hymnis Eccleſiaſticis veteribus contra proſodiæ Latinæ præcepta non peccauerint. Peccauere ſiquidem S. Hilarius Pictauenſis Antiſtes, S. Ambroſius, S. Gregorius M. S. Bernardus, S. Thomas Aquinas, etiamſi rariùs S. Ambroſius; peccauit Elpis Seuerini Boëthij vxor, cui communiter adſerunt hymnum, *Aureâ luce & decore roſeo* &c. peccauit Paulus Diaconus hymni de S. Ioanne Baptiſta architectus, *Vt queant laxis* &c. peccauere auctores ἄδηλοι hymnorum, *Ad cænam agni prouidi* &c. *Chriſte ſanctorum decus Angelorum* &c. *Exſultet cælum laudibus* &c. *Iam Chriſte ſol iuſtitiæ* &c. *Ieſu redemptor omnium, perpes corona* &c. *Iſte confeſſor* &c. *Martyr Dei qui vnicum* &c. *Sanctorum meritis* &c. *Tibi Chriſte ſplendor* &c. *Virginis proles opifex*, &c. *Ieſu ſaluator ſæculi verbum patris* &c. Sed idcirco peccauere, quia *Neglectis verbis ſpectabant myſteria*, vt alio in ſenſu loquitur S. Ambroſius hom. 11. in cap. 11. S. Lucæ.

Cùm verò in hymnis Eccleſiaſticis myſteriorum ſenſus ſeruatur incorruptus: cùm myſteriorum virtus intacta atque illibata perſeuerat, quid eſt cur proſodiæ Latinæ ratio ac recta vocabulorum pronuntiatio non ſeruetur? Quomodo autem ſeruabitur ſi in fine carminis jambici dimetri acatalecti, *Paraclētus*, *Paraclēto*,

vel

35

vel *Paraclētum* proferatur?

Dicamus itaque *Cum ſpiritu Paraclito, Sancto ſimul Paraclito, Et ſpiritu Paraclito,* atque, *Cum ſpiritus Paraclitus*, quemadmodum præfati carminis jambici (quod ferme vnum & ſolum in Eccleſiaſticis hymnis habet vocem *Paraclitus*) canones neceſſariò poſtulant. Vt enim de tribus prioribus huiuſce carminis pedibus nihil dicam, quartus apud Latinos omnes poëtas qui eo carminis genere luſerunt, ſemper eſt vel jambus, vel pyrrichius. Vnde penultimam jambici versûs dimetri acatalecti ſyllabam breuem eſſe neceſſe eſt. Referrem heic Ioannis Deſpauterij Niniuitæ aliorúmque Grammaticorum eâ de re placita. Sed quid his Grammaticalibus tricis diutiùs immorari opus eſt? Quid illud demonſtrare quod inficiatur nemo? Aperta ſunt iſta Clicthouei verba quæ habet in lib. 1. Elucid. Eccleſ. in expoſitione hymni cuius initium eſt, *Iam lucis orto ſidere*, vbi ait: *Hymnus iſte vniformis eſt & vno dumtaxat genere carminis conſtans, ſcilicet jambico dimetro, duos pedes pro vno metro menſuráque peculiariter obtinente: & idcirco à duabus cuiuſque carminis menſuris ſiue metris, dimetrum ab auctoribus paſſim nuncupatur. Ipſum autem quatuor ſedibus atque locis compingitur ac coaleſcit. In primo quidem loco conſtituitur Spondæus vel jambus: in ſecundo ſolus jambus: in tertio itidem ſpondæus vel jambus: in quarto verò & poſtremo loco jambus vel*

vel pyrrichius, ſecundum poſtrema ſyllaba ipſius carminis quantitatem & conditionem.

Age verò ſi in jambici carminis dimetri fine ſcribas *Paraclētus*, *Paraclēto* aut *Paraclētum*, vbi jambus pes, ſeu pyrrichius? At ſi ſcribas *Paraclĭtus*, *Paraclĭto* & *Paraclĭtum*, jambus pes erit ſeu pyrrichius, nulla fiet Latinæ proſodiæ regulis injuria, Grammaticis ſua ipſorum iura ſeruabuntur, ſua inſtituta manebunt ſarta tecta, nulla doctis auribus inferetur violentia, nullum Eccleſiaſticæ antiquitati, nullum Eccleſiaſticæ conſuetudini probatæ damnum adferetur.

Intellexerunt hoc apprimè viri tres politiſſimi Famianus Strada, Tarquinius Gallucius & Hieronymus Petruccius, qui ab Vrbano VIII. Romano Pontifice, ad emendandos recognoſcendóſque veteres hymnos ſelecti ſunt. Vbi enim in 11. Stropha hymni, *Veni creator ſpiritus*, &c. contra proſodiæ Latinæ regulas habebatur, *Qui Paraclītus diceris*, correxerunt, *Qui diceris Paraclĭtus*: & vbicumque penultima *Paraclitus*: ſyllaba aliter quàm breuis in Eccleſiaſticis hymnis reperiebatur, breuem extulerunt, vt eorum emendationes legenti manifeſtum eſſe poteſt.

Non quòd heic ego trium eiuſmodi poëtarum laborem ex toto velim adprobari. Multa ſiquidem in eorum pleriſque correctionibus leguntur correctione digna, ſi quis eas ad ſeue-

rioris

rioris criticæ leges reuocauerit: & maximè in recenſione hymnorum ab Eccleſia multis à ſæculis receptorum ac vel vno auctorum S. Hilarij, S. Ambroſij, S. Gregorij, Prudentij & Sedulij nomine commendatorum, quod ſingulari opere probandum ſuſcepit & reipſa probauit Ludouicus Cauallus è FF. Minorum familia, Lateranenſis Pœnitentiarius. Quo fortaſſe factum eſt vt non vniuerſæ Eccleſiæ, ſed priuatis tantummodo quibuſdam ſodalitiis ac congregationibus accepti fuerint emendati illi hymni, qui (quod ſummopere obſeruari cupiam) hodie quoque nequidem Romæ, vbi conditi ſunt, in præcipuis vrbis Eccleſiis, S. Petri, S. Ioannis Lateranenſis, S. Mariæ Majoris & aliis decantantur: adeo antiquitatis Eccleſiaſticæ tenaces illæ ſunt. Vnde miror vehementer cur Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia, viri aliàs antiquorum morum ſummè retinentes, eiuſmodi recenſionem hymnorum ambabus (vt ajunt) vlnis amplexi ſint, & in diuinis officiis etiam nunc frequentent. Ideo autem ab aliis minime receptam autumo quia in Concilij Toletani IV. ante annos circiter M. ſub Honorio I. ab omnibus Hiſpaniæ & Galliciæ Epiſcopis celebrati can. XII. præcipitur, vt hymni à SS. Patribus Hilario, & Ambroſio compoſiti in officio Eccleſiaſtico retineantur. Quidam enim jam tunc eos contemnere cœperant, propterea quod in ſacris voluminibus non exſtarent.

Hoc

Hoc itaque vnum in nouitiæ hymnorum editionis commendationem dico, ſi quid erat in antiquis Eccleſiæ hymnis à bona grammatica diſſentaneum: ſi quid contra proſodiæ Latinæ regulas ſcriptum, id optimè à tribus illis ſuauiſſimi ingenij viris emendatum eſſe ac reſtauratum. Quare cum verſum iſtum, *Qui Paraclitus diceris*, ita reddiderint, *Qui diceris Paraclĭtus*, non aliâ id ab ipſis ratione factum arbitror, niſi quia ſic decantatum, *Qui Paraclītus diceris*, Latinæ ſyllabarum quantitati aduerſabatur, artíſque verſificatoriæ normam euertebat.

Vbique ergo corripienda eſt penultima *Paraclĭtus* ſyllaba, quamquam à παράκλητος deriuata. Neque enim Chriſtiani poëtæ ac profani, in efferendis Latinè non Latinis nominibus, ad primigeniæ linguæ quantitatem ita ſemper attendendum eſſe crediderunt, vt ab ea nefas duxerint recedere, quoties carminis quod tractabant ratio poſtularet. Recedunt ſæpius cùm vel Hebræa, vel etiam Græca vocabula in Latinum transferunt. Receſſere à Græcis quotquot penultimam corripuere in *Apyrina*, vt Martialis dum ait in epig. XLII. lib. XIII.

Non tibi de Libycis tuberes & apyrina ramis,
De Momentanis ſed damus arboribus.

Et ibidem in ep. XLIII.

Lecta ſuburbanis mittuntur apyrina ramis.

Quandoquidem *apyrinus* ab α priuatiuo & πυρὴν proficiſcitur. Receſſere Virgilius, Naſo, Lucanus,

Lucanus, Silius, Statius, & quotquot penultimam in *acies* breuem effecere, cùm ſit ab ἀκή. Receſſit Buchananus cùm antepenultimam corripuit in *blitheus*, quod eſt à βλιτὸν, in lib. I. epigr. hoc verſiculo:

Dum blitea inſani compilas ſcripta Doleti.

Receſſere omnes illi qui primam *Gigas* corripuere, quæ venit à γηγενὴς. Receſſere qui primam *nimium* breuem, & ſecundam *rigidus* itidem breuem extulere, cùm illa vox ſit à νὴ & μῆνος, hæc autem à ῥιγηλός. Recedunt & cum poëtis Eccleſiaſticis Eccleſiaſtici cantores dum in *Kyrie eleiſon*, vel *Eleiſon imas*, penultimam *eleiſon* corripiunt, quæ ab ἐλέησον oritur. Receſſit denique cum poëtis & cantoribus Eccleſiaſticis Petrus Cantor in verbi abbreuiati cap. XXIX. in quo ſcribit:

Exprimit officium ſuſpiria, gloria laudis
Kyrie eleiſon ter replicata preces.

Receſſere etiam ab Hebræis Vrbanus VIII. & iam antea nominatus Buchananus (ne heic alios propemodum infinitos enumerem. Vrbanus quidem VIII. vbi penultimam *Iſraël* corripuit paraphraſi in canticum Moyſis, *Exod.* XXV. cap. his verbis.

Sicco pede tranſierunt
Iſrael nati medium reciſi
per maris æquor.

Itémque in canticum Iſaiæ.

Adéſtque ſanctus Iſraël.

Cùm tamen ſit ab Hebræo ישראל per ˙ quod eſt punctum vocale longum. Dum penultimam *Chanaam* corripuit quæ eſt à כנען cum · puncto vocali longo, Paraph. in cant. Moyſis, *Exod.* xv. cap.

Tenentur
Ceu gelu, durâ Chanaam coloni
Compede vincti.

Dum penultimam corripuit in *Iſaci*, paraphr. in cant. trium puerorum, Daniel. cap. III.

Te rerum Dominum, te Deus Iſaci.

Quod tamen oritur à יצחק cum ˙ longo in fine. Ac denique dum antepenultimam *Cherubin* produxit paraph. in hymnum SS. Ambroſij & Auguſtini:

Sanctum beata Cherubin & Angeli
indeſinenter concinunt:

Licèt deriuetur à כרבים cum: ſemipuncto breuiſſimo.

Buchananus etiam, dum antepenultimam *Iſacidum* breuem extulit paraph. in pſal. cxiv.

Cùm domus Iſacidum patrias remearet ad oras:

Quæ (vti jam adnotatum eſt ſuperiùs) venit à יצחק cum ˙ puncto vocali longo. Dum penultimam corripuit in *Baſan*, paraphr. in pſal. cxxxv.

Quique Baſan Ogus magnâ ditione premebat:

Cùm fluat à בשן per ˙ punctum longum. Dum eodem in loco ſecundam Cananeïa correptam protulit:

Regnáque non vni Cananeïa ſubdita ſceptro:

Quæ

Quæ producenda erat veniens à כנען cum ˙ longo in penultima. Dum antepenultimam produxit in *Pharaonem* paraph. in pſal. c x x x v i.

Pharaonem & Pharios ſubmerſit gurgit. currus:

Quæ corripienda fuit, orta à פרעה per ֶ vocale punctum breue. Ac poſtremò dum vtramque priorem ſyllabam in *Amorrhaum* & *Seonem* corripuit ibidem,

Strauit Amorrhaum validâ virtute Seonem.

Cùm vtraque tamen produci debeat ab אמרי per · longum punctum, & סיחון per ׳ punctum vocale longum.

Quandoquidem igitur Latini poëtæ, ſiue ſacri, ſiue profani, ſacri in Hebraïcorum, ſacrî & profani ſimul, in Græcorum vocabulorum tranſlatione, primævæ linguæ quantitatem pleriſque in vocibus non obſeruauerunt, neque obſeruandam eſſe autumauerunt: cur non etiam Chriſtianis poëtis, Eccleſiaſticorum hymnorum auctoribus fas fuerit *Paraclĭtus* pronuntiare, quantumvis ſuam à παράκλητος originem deducat? Quod ſi in oratione ligata neceſſariè dicendum *Paraclĭtus*; in ea quæ nullis adſtringitur proſodiæ legibus, neceſſariè quoque dicendum *Paraclītus* mihi concedet vltro, quiſquis in Eccleſiaſticarum vocum earumdem pronuntiatione ſeruandam eſſe conſenſionem non negabit.

Perfricent iam frontem qui *Paraclētus* pro *Paraclĭtus* cenſent efferendum, videantque num

rectè ſonet in fine carminis jambici dimetri acatalecti, ſeu *Paraclētus*, ſeu *Paraclēto*, ſeu *Paraclētum* : interea loci dum *Paraclītus* antiquo Eccleſiæ vſui, antiquis Eccleſiæ libris, ſiue vulgatis, ſiue MSS. confirmatum probabo, quæ tertia eſt Diſſertationis noſtræ pars & vltima.

§. IV.

ECcleſiaſticorum librorum editioni promouendæ, & emendationi procurandæ qui ſuam nouiſſimis hiſce temporibus nauauerunt operam antiquiſſimam vocis *Paraclītus* lectionem idcirco diſplicuiſſe puto, quòd cùm aliquid in Græcis profeciſſent, παράκλητος in *Paraclītus* conuerti non debere, fuerint opinati. Neſcierunt nimirum vel ſatis accuratè non expenderunt, quod de ſcripturarum ſacrarum interpretatione ſapienter docet S. Auguſtinus in lib. II. de doctr. Chriſt. cap. XIII. etiam de Eccleſiaſticis libris, qui partem maximam ex diuinis literis conſurgunt, merito dici poſſe, in quibus *Non ſolùm verba ſingula, ſed etiam locutiones ſæpe transferuntur, quæ omnino in Latinæ linguæ vſum, ſi quis conſuetudinem veterum qui Latinè locuti ſunt, tenere voluerit, tranſire non poſſunt: quæ aliquando intellectui nihil adimunt, ſed offendunt tamen eos qui plus delectantur rebus, cùm etiam in earum ſignis ſua quædam ſeruatur integritas.* Vna eos offendit ſyllaba;

ba : eâ locutionis integritatem violari credide-runt, quaſi verò aliud ſit *integritas locutionis* quàm *Latinæ conſuetudinis conſeruatio loquentium veterum auctoritate firmata*, vt ait ibidem S. Auguſtinus.

Atqui ſi veterem Eccleſiæ Catholicæ vſum & veteres Eccleſiæ Catholicæ codices potiùs quàm animi ſui ſenſa, ſuæque non vbique conſtantis Grammaticæ canones ſequuti eſſent, reperiſſent profectò *Latinæ conſuetudinis conſeruationem* in *Paraclĭtus* pronuntiatione factam, *loquentiumque veterum auctoritate firmatam.* Quid, enim habent aliud quàm *Paraclĭtus* antiqua exemplaria ferè omnia, manu exarata, typis commendata, noui inſtrumenti, Miſſalium, Ritualium, Gradualium, Breuiariorum, Antiphonalium, Diurnorum, Manualium, ceterorum omnium id genus Eccleſiaſticorum librorum, atque etiam Eccleſiaſticorum ſcriptorum? Bibliothecarum omnium forulos omnes, omnes pluteos non excuſſi, libros omnes antiquiores & recentiores non expendi: Quis enim poſſit? Sed eos tamen expendi; è quibus veterrimam eſſe & longæuo multarum Chriſtiani orbis Eccleſiarum vſu receptiſſimam pateat *Paraclĭtus* enuntiationem, non in ſtrictâ tantùm oratione, ſed & in ſolutâ. A MSS. codicibus ducamus initium, in quibus (vbi ſcribi debet) ſcriptum ſemper reperitur *Paraclĭtus*: quod ſemel admonuiſſe heic ſufficiat, ne ſi idem omnino

idemtidem repetamus, lectori noſtro tædium & faſtidium creemus.

Pariſiis in Bibliotheca S. Germani à Pratis habentur inter alia maximi pretij ſcripta manu volumina, nouum Teſtamentum MS. annorum DCCC. Miſſale S. Eligij annor. circiter M. (vt nihil dicam de veteri exemplari libri Æneæ Pariſienſis Epiſcopi de ſpiritu ſancto contra Græcos, quem in Spicilegij ſui tomo VII. edendum curauit Clariſſ. Acherius eidem Bibliothecæ præpoſitus) Duplex MS. volumen libri Sacramentorum D. Gregorij Magni, alterum, quod Rodradi Presbyteri qui obiit an. DCCCCLXXXV. Alterum quod Ratoldi Abbatis qui circa an. DCCCLIII. Hominem exuit, nomine inſignitum eſt.

In Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Victoris, Pariſienſis: Biblia in fol. D. annorum, San-Victorinis olim data à Regina Blanca S. Ludouici matre, quemadmodum initio libri legitur ſcriptum eodem fermè quo totus liber calamo; nouum teſtamentum in fol. DCC. propè annorum; vetus Miſſale in fol. CCCC. annorum, cui titulus, *Rituale Magalonenſe*, hoc eſt (vt nunc vocant) Montis Peſſulani. In quo quidem habetur vbique Paraclitus, maximè verò in oratione vigiliæ Pentecoſtes, quæ ſic habet. *Da nobis quæſumus Domine, per gratiam Spiritus ſancti tui paracliti, nouam ſpiritalis obſeruantiæ diſciplinam: vt mentes noſtræ, ſacro*

præſtante

præſtante jejunio, cunctis reddantur eius muneribus aptiores. Breuiarium eiuſdem æui; aliud an. MCCCXCIII. Sicut in primo illius volumine legitur, ad vſum Eccleſiæ S. Victoris; bibliorum Concordantiæ ſat vetuſtæ in fol. libellus precum CCC. annor. in hymnis, *Conditor alme ſyderum* &c. *Beata nobis gaudia* &c. *Vrbs Ieruſalem beata* &c. *O lux beata Trinitas* &c. In Bibliotheca Franciſcanorum (quos vulgò Pœnitentes appellant) domûs Nazareth è Templi regione, Miſſalia duo CCCC. & amplius annorum; aliud an. circiter D. Breuiarium in fol. CCC. ann. aliud eiuſdem æui. aliud CCCC. & amplius annorum aliud CCC. Commentarius in hymnos. In Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Genoueſæ Pariſienſis, N. Teſtamentum in fol. jam ab annis plus minùs DCCC. exaratum; Biblia in 8. Miſſale vetus in fol. & breuiarium antiquum in 8. ad vſum Eccleſiæ S. Genoueſæ.

In Bibliotheca FF. Minimorum Pariſienſium ad regalem plateam, Breuiarium Eccleſiæ Metenſis.

In Bibliotheca FF. Dominicanorum Pariſienſium ad S. Honoratum, Miſſale CCCC. annor. & Breuiarium CCC. annor. è regio Piſciacenſium Sanctimonialium monaſterio erutum; Miſſale annor. CCCC.

In bibliotheca Inſtitutionis Presbyterorum Oratorij D. N. I. C. Breuiarium Caſſirenſis

Digitized by Google

monaſterij, tempore Oderiſij Abbatis qui circa an. MXC. Paſchalis II. ætate floruit, exaratum.

Carnoti in Bibliotheca Capituli inſignis Eccleſiæ B.Mariæ, biblia annor. CCC. alia annor. CCCC. Quatuor Euangelia, an. circiter DCCC. Miſſale Carnotenſe annor. CCC. aliud eiuſdem ætatis; breuiaria duo Carnotenſia annor. CCC. & alia quatuor, ſat vetera.

Atque hæc de MSS. librorum Eccleſiaſticorum exemplaribus nobis obſeruata ſunt. Noſtra jam ad codices excuſos typis conuertatur oratio, in quibus vbique *Paraclĭtus* occurrit.

In bibliis an MCCCCLXXIX. In Antuerpienſibus an. MDCXVIII. Lugdunenſibus an. MDCLVIII. Colonienſibus an. MDCLIX.

In Ordine Romano in hymno, *Magnum ſalutis gaudium* &c. qui die Palmarum canitur. In libro hymnorum cantu Gregoriano inſignitorum, ad vſum Eccleſiæ Saris berienſis, Londini euulgato an. MDLV.

In Elucidatorij Eccleſ. Iodoci Clicthouei lib. I. in hymno, ſeu proſa, *Alma chorus Domini* &c. cuius hic eſt ſextus verſus: *fons & origo boni Paraclĭtus ac mediator.* Ad quem hymnum id obſeruat Clicthoueus: *Decantatur hic hymnus ad vſum inſignis Eccleſiæ Pariſienſis, in die ſancto Pentecoſtes ad veſperas, ob fœcundam diuinorum nominum multiplicitatem præclarus admodum & dignus qui ceteris inſeratur, & ex*

ſacrarum

ſacrarum literarum teſtimonio aliquantam lucem accipiat. Quod Eccleſiæ Pariſienſis librorum cenſoribus inſalutatum præteriri non debet.

In Miſſali literis antiquis excuſo, quod inuenitur in bibliotheca S. Genouefæ Pariſienſis, in Romano, Romæ edito, an. MDCIX. in aliis Romanis, an. MDCXXXVII. MDCLVIII. & MCCCCLXXX. In Miſſali edito an. MDL. quod habetur in Bibliotheca Pœnitentium de Nazareth Pariſienſium.

In Pariſienſibus Miſſalibus an. MDV. MDXVI. quod aſſeruatur in Bibl. S. Vict. In quo habetur proſa diei Pentecoſtes, cuius hæc ſunt verba: *Paracliti ſancti conſolationem piam expectamus.* MDXXXI. MDXVI. MDXLI. MDXLIII. ac MDLIX.

In Carnotenſibus an. MDXXXV. MDLII. & MDCXXV. In Ebroicenſi, an. MDV. In Andegauenſi an. MDXLIII. In Auguſtodunenſi an. MDXXX.

In Miſſali ad vſum Eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis, an. MDXXIX. In Caſalis Benedicti; In Cluniacenſibus an. MD. & MDXCIII. In Sariſberienſi, excuſo Venetiis an. MCCCCXCIV.

In Breuiariis Romanis omnium fermè editionum, ſed præcipuè Antuerpienſium an. MDLXXX. & MDLXXXVIII. Pariſienſis an. MDXXIV. ac Venetarum, an. MDXXIX. & MDLXX.

In Lugdunenſi an. MDLXXXIV. Quod maxima

ximè obſeruari velim, quia (vt ait S.Bernardus in epiſ. CLXXIV.) *Inter Eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdunenſem hactenus praeminuiſſe ſicut dignitate ſedis, ſic honeſtis ſtudiis & laudabilibus inſtitutis. Vbi enim æquè viguit diſciplinæ cenſura, morum grauitas, maturitas conſiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis inſigne? Præſertim in officiis Eccleſiaſticis haud facilè vnquam repentinis viſa eſt nouitatibus adquieſcere, nec ſe aliquando iuuenili paſſa eſt decolorari leuitate Eccleſia plena iudicij.*

In Senonenſi, an. MDCXLI. Pariſienſibus an. MCCCCXCII. MCCCCXCVII. MDXLI. & MDLVII. Carnotenſibus an. MDLII. MDLIX. MDLXXXIV. MDCXVII. MDCXXII. & MDCXXXIV. In vetuſto *officio SS. ſecundum vſum Eccleſiæ Carnotenſis.* Aurelianenſi, an. MDXLII. Ambianenſibus, an. MDXXXIII. & MDLV. Bellonacenſi, an. MDLIV. Antiſſiodorenſi, an. MDXLV. Andegauenſi, an. MDCLXV. Catalamenſi, an. MDCXXXVI. Veſuntionenſi, an. MDXXXI. Nouiomenſi, an. MDCXXX. Bajocenſibus, an. MDCXXVIII. & MDCXXXVIII. Argentinenſi, curâ Ruperti Epiſcopi in lucem emiſſo an. MCCCCLXXVIII. Alio alius anni; Conſtantienſi, an. MDCIX. Eccleſiæ Solmenſis, an. MDXLVIII. Eccleſiæ Conſtantienſi in Germania an. MDIX. Venetiis excuſo; Spirenſi item Venetiis anno eodem; S. Quintini Veromandenſis; S. Martini Turonenſis

nenſis, an. MDXIX. Baſileenſi & aliarum Diœceſeon ſine anni quo edita ſunt, adnotatione apud Pœnitentes Pariſienſes S.Dionyſij in Francia, an. MDL. S. Genouefæ Pariſienſis an. MDXLVIII. In Friſcanenſi, an. MDCXXVII. In Cœleſtinorum an. MDXCVIII. In Cluniacenſi, an. MCCCCXCIX. & MDXLV. & in Diurnali itidem Cluniacenſi an. MDVII. In Presbyterorum Ordinis Teutonici, In Caſalis Benedicti, an. MDLXXXVI. In fontis Ebraldi, an. MDLXXXVII. ac in Pſalterio eiuſdem Ordinis, an. MDLIX. In Carmelitano, an MDCXVI. In Dominicanis, an. MDXLIX. MDLXXVIII. MDLXXXVI. MDCVII. & MDCXLII. In Carthuſianorum Miſſali & Diurnali apud Thielmannũ Veruer an. MDXX. emiſſis in lucem, in Minorum; atque (vt tandem finiam) in omnibus Ordinis Benedictini, in omnibus quoque omnium religioſorum ordinum qui miſſali & breuiario Romanis vtuntur, Miſſalibus & Breuiariis.

Ergo poſt tot illuſtrium Eccleſiarum, tótque Chriſtiani orbis religioſarum ſodalitatum, auctoritatem, quæ omnes multis jam à ſæculis & legêre *Paraclitus* in diuinis Officiis &c. cecinere: quid eſt aliud nunc & legere *Paraclētus* in diuinis officiis & canere, quam (vt ait vetus effatum) inuictis canibus venari: quàm *Senis mutare linguam, & ſeneſcentem mundum ad initia retrahere paruulorum*, quemadmodum ſcribit S.Hieronymus præloquens in IV. Euangelia?

lia? Quid eſt aliud quàm quod iamdudum Eccleſiæ plures comprobarunt, repudiare? Dicam ampliùs, quod conſecrarunt violare? Quid, quàm parentes & anteceſſores noſtros, ſanctiſſimos & doctiſſimos erroris atque ignorantiæ arguere? Sinite hcic quibus verbis Lugdunenſes Canonicos nouam Conceptionis Deiparæ virginis celebritatem inducentes, compellauit olim S. Bernardus, iiſdem nunc nouitios noſtros compellem librorum Eccleſiaſticorum cenſores: *Miramur ſatis quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrûm, voluiſſe mutare colorem optimum nouam inducendo* vocem, *quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores aut* ſapientiores *ſumus? Periculosè præſumimus quidquid ipſorum in talibus prudentia præteriuit. Nec vero id tale eſt, quod niſi præte-reundum fuerit) patrum quiuerit omnino diligentiam præteriiſſe.*

Ergo cùm jamdiu ſuis in officiis Eccleſia *Paraclitus* vocem ſolemnem effecerit, & quodammodo conſecrauerit, quæ ratio eſſe potuit conſecratam ſuâ antiquitate vocem immutandi & violentas (vt ſic loquar) Eccleſiaſticis veteribus Officiis manus inferendi?

Sanctior itaque auctoritas ac venerandæ antiquitatis iura poſtulant vt *Paraclitus* retineatur, quemadmodum effecere olim vt quædam in ſcripturis ſacris vocabula ſeruata fuerint, de quibus

quibus ita fatur S. Auguſtinus in lib. 11. de doct.chriſt.cap.x1. *Hebraa verba non interpretata ſæpe inuenimus in libris, ſicut* Amen, Hallelu-ia *&* Racha, *&* Hoſanna, *& ſi qua ſunt alia: quorum partim propter ſanctiorem auctoritatem, quamuis interpretari potuiſſent, ſeruata eſt antiquitas, ſicut eſt* Amen *&* Hallelu-ia*: partim verò in aliam linguam transferri non poſſe dicuntur, ſicut alia duo quæ poſuimus.* Poterit igitur *Paraclĭtus* ſacratior vox, antiqua vox, è libris Eccleſiaſticis tolli? Itane verò commutandæ diuinorum officiorum lectiones antiquæ? Itane pro captu & arbitrio priuatorum hominum quorumdam, Eccleſiaſticarum precationum verba euertenda, labefactanda, quantumuis antiquitus approbata, quantumuis notæ optimæ, quantumuis è Græco fonte per natiuos riuulos cadentia?

Stribiligines, ſolæciſmos, barbariſmos, & alia Latini ſermonis vitia, in vulgatâ editione noſtra bibliorum reliquit Eccleſia; Reliquit in epiſtola miſſæ de communi Pontificis & confeſſoris ex S.Paulo ad Hebr. cap.x111. *Talibus hoſtiis promeretur Deus*, pro *Placetur Deo* (vti vertit Eraſmus) vel, *Beneplacet ſibi Deus*, vt Benedictus Arias Montanus, εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, vbi *promeretur* paſſiuè accipitur, cùm tamen actiuam vim habeat.

Reliquit in Introitu miſſarum Pentecoſtes & votiuarum de Spiritu Sancto: *Spiritus Domi.i*

mini repleuit orbem terrarum , & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis : Quod deſumptum eſt è cap. 1. lib. Sapientiæ , cuius in Græco habetur· Πνεῦμα Κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνῶσιν ἔχει φωνῆς : vbi deberet conuerti : *Et hic* (ſc. Spiritus) *Qui continet omnia ſcientiam habet vo: is.*

Reliquit in Euangelio Epiphaniæ, ex cap. II. S. Matthæi : *Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſraël :* pro, *Ex te enim exibit* &c. Cur enim eo in loco non diceret *Exibit* vulgatus interpres noſter , ſicut in cap. XIII. eiuſdem S. Matthæi ait : *Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum ?*

Reliquit in primo matutini officij diei Dominicæ nocturno , ex pſal. IX. *Comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant :* pro , *quæ cogitant :* Græcorum more , *qui relatiuum ponunt in caſu antecedentis* , inquit Genebrardus ad hunc pſalmum. Hinc Pſalterium Romanum legit : *In cogitationibus quas cogitant* ; & in Græco etiam LXXII. interpretum habetur : συλλαμβάνονται ἐν διαβουλίοις οἷς διαλογίζονται.

Reliquit in Euangelio Pentecoſtes ex S. Ioannis cap. XIV. *Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus :* καὶ ὁ λόγος ὃν ἀκούετε οὐκ ἔστιν ἐμός. pro , *Et ſermo quem audiſtis non eſt meus.* Niſi heic eſſe ἔλλειψιν aſſeras vocis *ſermo*, ita vt ſenſus ille ſit : *Et ſermo quem ſermonem audiſtis non eſt meus.* Verùm ad eiuſmodi ἔλλειψιν confugere quid neceſſe eſt ? Reliquit

Reliquit in Euangelio feſti SS. Innocentium, ex cap. II. S. Matthæi *Noluit conſolari, quia non ſunt:* οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι ὅτι οὐκ εἰσίν; Itémque in Euangelio omnium Sanctorum, & Miſſæ de communi plurium Martyrum, ex S. Matthæi cap. v. *Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur:* μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται: Quo in vtroque loco *conſolari* & *conſolabuntur* paſſiuè ſumuntur, quæ actiuæ ſignificationis ſunt. Vnde priorem ſic Eraſmus tranſtulit: *noluit conſolationem admittere, propterea quòd non ſint: poſteriorem autem hoc modo: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient.*

Reliquit denique plures alios ſeu ſolæciſmos, ſeu barbariſmos, quos omnes enumerare longius ſit; Et librorum Eccleſiaſticorum editores nouitij eradent *Paraclĭtus*, quod linguarum Græcæ ac Latinæ analogia, & conſtantes ac perpetui Latinæ proſodiæ canones, & antiqua exemplaria repræſentant?

S. Auguſtini temporibus legebatur publicè in Eccleſia Africana, ex pſal. CXXXI *Super ipſum autem floriet ſanctificatio mea:* quod nunc in vulgata editione legimus: *Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* Stribiliginem agnouit in *floriet* S. Auguſtinus: noluit tamen ipſe corrigere, propter *conſuetudinem cantantium:* imò nec potuit, vt fatetur ingenuè in lib. II. de doct. chriſt. cap. XIII. his verbis: *Illud etiam quod jam auferre non poſſumus de ore cantantium populorum:*

populorum : Super ipſum autem florict ſanctificatio mea : *Nihil profectò ſententia detrahit : Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi vt non* floriet, *ſed* florebit *diceretur. Nec quidquam impedit correctionem niſi conſuetudo cantantium. Iſta ergo facilè etiam contemni poſſunt, ſi quis ea cauere voluerit, quæ ſano intellectui nihil detrahunt.* Quod *conſuetudo cantantium* ferebat non ſuſtulit S. Auguſtinus, non correxit Epiſcopus in Eccleſia ſua : & quod fert *conſuetudo cantantium* tollent, corrigent priuati cenſores? ſcire cupiam quo iure?

Atqui Eccleſiaſtici cantûs & accentûs præterea requirunt vt *Paraclĭtus* intonetur. Nam cùm Eccleſiaſtici cantores, vbi Eccleſiaſticos hymnos, carminibus jambicis dimetris acatalectis conſcriptos efferunt, ſi verbis triſyllabis aut tetraſyllabis eorum verſus terminentur, accentum ſoleant in antepenultima collocare, penultimámque ſemper corripere : non artis quidem verſificatoriæ ſcientiâ, ſed tritâ & famliari conſuetudine potius : quî, obſecro, poterunt enuntiare. *Cum Spiritus Paraclētus, Cum Spiritu Paraclēto*, Si in *Paracletus* aut *Paraclito* penultima producatur?

Sed fortaſſe aliis argumentis probari vellent recentiores librorum Eccleſiaſticorum cenſores vſurpatam antiquitus in Eccleſia vocem *Paraclĭtus*, quàm ex communi Eccleſiaſticorum codicum teſtimonio repetitis. At quid

quid hoc tandem rei eſt, niſi manus dare & ſeſe victos confiteri? Enim vero quid in ſubjecta materia validius, quid potentius adferri poteſt, quàm vnanimis innumerarum Eccleſiarum in hoc vnum conſenſus ac veluti conſpiratio; vt *Paraclitus* non verò *Paraclētus* dicatur? Lubens tamen ipſorum poſtulatis obſecundabo,

Nec me labor iſte grauabit.

Poſſem heic veteres antiquorum Eccleſiæ Patrum editiones in aciem producere, quarum in plериſque *Paraclitus* legitur, ſi quando de Spiritu Sancto ſermo incidat: vt in ea quam curauit Pariſiis operum Origenis anno MDXII. Iacobus Merlinus Pariſienſis Theologus. Sed iis omnibus breuitatis gratia prætermiſſis, alia mihi ſuppetunt antiquitatis monumenta, quibus antiquiſſimum eſſe *Paraclitus* vſum in Eccleſia commonſtrem.

Ac primùm quidem Italia ſacra in tom. VII. Epiſcopum quemdam Acerrenſem, qui obijt an. MCCCCLX. nobis exhibet, cui nomen non *Paraclētus*, ſed *Paraclitus de Malueitis, Bononienſis.*

Deinde Paraclitenſis cœnobij Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti, in Tricaſſina diœceſi, appellatio id non obſcurè ſignificat. Conditum dicitur cœnobium iſtud an. MCXXX. à Petro Abaïlardo, ſub cura

E tutelâ

tutelâque Heloïſſe, vxoris quondam ſuæ, trium linguarum, ſed Græcæ præſertim notitia commendatæ, conſtitutum, & *Monaſterium Paraclĭtenſe*, ſiue *Monaſterium Paraclĭti*, aut etiam *de Paraclĭto*, à Spiritus Sancti Paraclĭti cui dicatum eſt, nomine nuncupatum. Quo fit vt agitandæ majori cum pompa atque apparatu Patroni ſui Spiritus Sancti Paraclĭti celebritatis causâ, ipſo Pentecoſtes die, qui peculiari titulo Spiritui Sancto ſacer eſt, huiuſce cœnobij velatæ virgines hodie quoque diuinum officium Græco idiomate peragant, quemadmodum in Miſcellaneis Hiſtoricis de primâ Paraclĭtenſis Monaſterij inſtitutione verba faciens Nicolaus Camuſatius Trecenſis Eccleſiæ Canonicus obſeruauit.

Iam verò ſi Petri Abaïlardi æuo Eccleſiæ vſus obtinuiſſet vt Spiritus Sanctus *Paraclētus* enuntiaretur, ſanè monaſterium quod ponebat, & ſub Spiritus Sancti patrocinio collocabat, *Paraclĭti*, ſeu *Paraclĭtenſe* non appellaſſet. Appellauit tamen, quod inuictiſſimo argumento eſt Spiritum Sanctum *Paraclĭtum*, non *Paraclētum* apud Eccleſiaſticos viros & in Eccleſiaſticis ſcriptis dictum ſaltem tunc fuiſſe. Neque ſemel aut iterum appellauit tantùm, ſed ſæpius. Videre licet hoc in pluribus ipſius operum locis ſed maximè vbi legitur pag. CCCXLVI.

Ad

Ad Heloïſſam Paraclĭti Abbatiſſam. Ex Chartulario Paraclĭtenſis cœnobij. pag. CCCXLVIII. *Sanctimoniales Paraclĭtenſes*, pag. CCCLIV. *Soc. Paraclĭti*, & *monaſterium à Paraclĭto.* pag. CCCLV. & aliis, *Paraclĭtenſis Abbatiſſa.*

Idem etiam è veteribus inſtrumentis conſtat quæ à præfato Camuſatio ibidem percenſentur; Ex Literis Hugonis Archiepiſcopi Senonenſis, pag. CCCXLVII. in quibus legas: *Ego Hugo Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopus notum omnibus fieri volo præſentibus & futuris, quòd Heloiſſa Paraclĭtenſis Abbatiſſa* &c. *Apud Paraclĭtum de Dominabus eiuſdem Eccleſiæ.* &c. *Tranſibunt ad Eccleſiam Paraclĭti* &c. *Abbatiſſa verò Paraclĭti* &c. *Dedit Comitiſſa Eccleſiæ Paraclĭti tres modios frumenti* &c. *Ad voluntatem Abbatiſſæ Paraclĭtenſis* &c. *promiſit & Abbatiſſa Paraclĭti* &c.

Tum ex MS. Codice, obituum cœnobij Paraclĭtenſis, vbi habes in pag. CCCXLVIII. *Ego Petrus Cluniacenſis qui Petrum Abailardum in Monachum Cluniacenſem ſuſcepi, & corpus eius furtim delatum Heloiſſæ Abbatiſſæ & monialibus Paraclĭti conceſſi, auctoritate omnipotentis Dei & omnium Sanctorum, abſoluo eum pro officio ab omnibus peccatis ſuis.*

Ac demum ex Heloiſſæ Epitaphio, cuius hi ſunt verſiculi:

Hoc tumulo Abbatiſſa jacet prudens Heloiſſa.

Paraclitum ſtatuit cum Paraclito requieſcit.

Neque verò in ſolis Abailardi operibus, cœnobiique Paraclitenſis monumentis eo nomine indigitatur illa Sanctimonialium domus atque familia: ſed & in aliis ferè omnibus antiquis ſcriptoribus, qui vel de Abailardo; vel de Heloiſſa, vel de Paraclitenſi Monaſterio aliquid perſcripſere, vnde S. Bernardus & Merloni Horſtij, & conjunctiſſimi nobis Mabillonij curis in publicum eductus ita loquitur in Epiſt. CCLXXVIII. Quæ eſt ad Eugenium Papam pro Epiſcopo Beluacenſi: *Sed & quod petit Abbatiſſa de Paraclito per ipſum ſi dignamini ſcire poteſtis, & facere ſi dignum iudicatis.* Vbi de Heloïſſa ſermonem inſtituit mellifluus Doctor. Vnde Guillelmus Naugius in Chronico MS. ad an. Chriſti MCXLI. pag. CCXXXI. Abaïlardum commemorans, ædificatum ab eo monaſterium, *Paraclitenſe* ſeu *Paracliti*, vernaculè *le Monaſtere du Paraclit* nominari bis atteſtatur.

Aliud prætcrea eſt non procul ab vrbe Ambianenſi monaſterium *Paracliti* nomine inſignitum.

Habemus ergo jam luculentiſſima ſacræ antiqui

47

antiquitatis teſtimonia, quibus maximum pondus voci *Paraclitus* in libris Eccleſiaſticis & diuinis Eccleſiæ Catholicæ officiis adrogetur.

Vnum tamen ſupereſt adhuc doctiſſimi Haymonis Epiſcopi Halberſtatenſis, Alcuini quondam diſcipuli teſtimonium, quod quia videtur rem totam in hac materia conficere, ſine piaculo non poteſt prætermitti. Deſumitur ex eius Homiliis in Euangelia Dominicalia, & à Voſſio multijugæ eruditionis, exquiſitiſſimæque diligentiæ ſcriptore adfertur in libri de vitiis Latini ſermonis & gloſſematis, cap. XII. in hunc modum. *Quidam Græcus* (inquit Haymo) *Veniens in palatium regis cùm legeretur*, Paraclitus Spiritus Sanctus, *dixit* Paraclētus *dici debere*: Non eſſe *i* ſed *e* longum. *Tamen nos* (id eſt non Haymo vnus, ſed Franciæ & Germaniæ, ac totius occidentis Epiſcopi) *non audemus illud mutare propter conſuetudinem, ne nouum aliquid inuenire dicamur.* Ergo jam ab Haymonis ætate inoleuerat in occidentali Eccleſia mos ille vt *Paraclītus* non *Paraclētus* pronuntiaretur. Quòd ſi ante annum DCCCLIII. Quo Halberſtatenſem iſtum Epiſcopum vixiſſe autumat in Annal: Eccleſ. ad hunc ipſummet annum ſcribens Cardinalis Baronius, vocem *Paraclitus propter conſuetudinem mutare non eſt auſa* Eccleſia Gallicana atque Germanica, *ne vanum aliquid inuenire diceretur*: non eſt auſus Haymo, non Epiſcopus ſo-

Digitized by Google

lùm, ſed talis tantúſque Epiſcopus, ſed Euangelica tuba: quî ſpectabilis ſuâ antiquitate non *Paraclitus* è libris Eccleſiaſticis expungetur, vt illius in locum *Paraclētus* ſubſtituatur, quod *ritus Eccleſia neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio,* quodque *contra Eccleſia ritum præſumpſit nouitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis,* vt ſuis eam coloribus graphicè depingit, ad Lugdunenſes Canonicos S. Bernardus?

§. V.

Atque hæc, opinor, ſufficiunt ad afferendam in diuinis Eccleſiaſticiſque libris auctoritatem voci *Paraclītus.* Plura poteram argumenta congerere è penitioris grammaticæ reique antiquariæ penu deprompta: Sed quia eamdem incudem tutudiſſent, lubens & volens omiſi illa, ne lectori faſtidioſus eſſem.

FINIS

APPROBATIONES Doctorum.

ASſentior totus editioni Diſſertationis de Retinenda voce *Paraclitus* auctore Magiſtro IOANNE BAPT. THIERS, Carnotenſi. Datum Lugduni die 19. Februarij 1669.

MORANGE,
Doctor & Socius Sorbonicus.

DIſſertationem cui Titulus, *de Retinenda in Eccleſiaſticis libris voce* Paraclitus, Auctore IOANNE BAPT. THIERSIO, Carnotenſi, Baccalaureo Theologo, Nos infra ſcripti Doctores ac Socij Sorbonici legimus, in eâque nihil à fide Catholica boniſve moribus alienum deprehendimus. Datum Carnoti Kalendis Septemb. an. MDCLXVIII.

BLEFERON,
Carnotenſis Canonicus.

ROBERT,
Carnotenſis Archidiaconus.

Digitized by Google

EGo infra ſcriptus in ſacrâ facultate Pariſienſi Doctor Thologus & Socius *Sorbonicus teſtor me legiſſe libellum, cui titulus eſt Diſſertatio, ae* Retinenda in Eccleſiaſticis libris *voce* Paraclitus, Authore M. IOANNE BAPT. THIERSIO eiuſdem facultatis Baccalaureo Theologo, nihilque in eo reperiſſe fidei aut bonis moribus diſſonum; multa vero deprehendiſſe quæ & ſummam authoris eruditionem & eius in antiquitate ſeruanda zelum Pariſienſi Theologo digniſſimum commendent. Datum in Sorbonâ die quarta menſis Maij an. Sexcenteſimi Sexageſimi octaui ſupra milleſimum.

IOLLAIN.

VEu les Approbations. Ie conſens pour le Roy que le Sieur PIERRE GVILLIMIN, faſſe imprimer le Liure cy deſſus, auec les deffenſes ordinaires, ce 7. Mars 1669.

GALLIAD.

SOit fait ſuiuant les Concluſions du Procureur du Roy les an & jour ſuſdits.

DECEVE.

BIBL... VILL...